

que omnino satis constantem vbiq̄e fuisse. 3 Hoc enim accidere fere solere videmus iis, qui nimio coniecturarum, siue propriarum, siue alienarum, leuitatis amore, studioque, capti ducantur, vt alias haec, alias illa, recta, et vera, esse existiment, et vtriusque linguae copias metiantur scientiae eius suae angustiiis. Nihilo tamen secius reliqui horum poëmatum editores, vt Degenius, 4 Holstius, 5 Brigerus, 6 Bornius, 7 Ioerdensius, 8 fama scilicet doctrinae, et solertiae, viri, vt fit, impulsu exempli eius, vel secundi, vel tertii, scripturam reddi in exemplis suis certatim iussere: quorum quisque quantum profuerit opera sua rationibus studiosorum Graecarum literarum, quantum ea adiuuerit studia lectorum horum carminum, vnde coegerit, collegeritque, copias doctrinae Graecae in notis productas, alii cognoscant, et videant, iudicent, et statuunt. Bodonius certe, qui ante hos octo annos textum Graecum exempli Stephani primi Parmae literis vncialibus repetiit quaternis, 9 nostrae quidem expectationi adeo parum respondit studiis suis, vt vllum huius editionis exemplar, quamuis facie splendidum, tamen nollemus nobis nec quatuor denariis redimere. Nam pri-

3. Vt in tit. odar. 8. et 44.:
odar. 22, 11. 29, 18. 50, 9.

4. Erlangae A. C. 1781. et 1786.

8. Idem Degenius paucis annis ante, A. C. 1776., ediderat eodem in opido disputatiunculam super philosophia Anacreontis, lingua patria conscriptam, octonis.

5. Lipsiae A. C. 1782. 8.

6. Lipsiae A. C. 1787. 8.

7. Lipsiae A. C. 1789. 8.

8. Beolini, et Libauiae, A. C. 1789. 8.: quae editio continet tantum septem, et quadraginta, odaria, eaque alio collocata ordi-

ne. His editionibus addi potest Parthenopolitana A. C. 1781. 8. Nam exemplum, quod eadem in vrbe A. C. 1777. 8. exiit, textum exhibet Baxterianum, e nostro exemplo secundo expressum.

9. Index operis est, *Ἀνακρέοντος Τῆς Μέλης Ἀνακρέοντος Τεῖς Ὀδάρια*, praefixo commentario, quo poëtae genus traditur, et bibliotheca Anacreontea adumbratur, additis varr. lectionibus. vid. Annales litt. Helmstadd. a 1787. p. 134. — 140. et Commentarii Lipsi. de libris nouis a. 1786. p. 1761. ff.